





DISPUTATIONUM FEU-
DALIUM

SECUNDA:

DE MODIS QUI-
BUS FEUDA CON-
STITVNTVR ET ACQVI-
runtur:

Quam

Divina favente Gratia:

*In Amplissima Studiorum Universitate
Argentoratensi:*

SUB PRÆSIDIO

GEORGII-DAVIDIS
LOCAMERI J. U. DOCTORIS ET
PROFESSORIS OR-
dinarij:

Publicè instituet

PHILIPPUS DAUBER ALCEIANUS Palat.

In Auditorio majori

Mensis Ianuar. die



ARGENTORATI,

EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXII.

377.
39
2x

1622, 3.



DE MODIS QLI

DEUS FERDA CON

GEORGIUS VAPIS

LOCAMENTI U DOCTO

ARGENTORATI

MDCCXXX





Σὺν Θεῷ

T H E S I S. I.



Rdinis instituti (a) ratio postulat, ut de Modis quibus feuda constituuntur (b,) hac disputatione agamus.

(a) *disputat. preced. θ. 2. & 3.*

(b) in relatione maximè ad ipsas personas quibus ea constituuntur, adeoque acquiruntur. Neque enim constitutum feudum rectè dicetur, nisi & alicui constitutum ponatur. Alicui autem constitutum feudum, ut ab eo alicui acquisito differat, doceri vix potest. Nisi constitutum fortè pro eo quod constitui cœptum; acquisitum verò quod planè constitutum est, accipere oporteat. Loquimur autem hïc de constitutione, qua de novo, & inter Dominum ac Vasallum, feuda constituuntur. De ea enim, qua ab uno in alium, sive Dominum sive Vasallum, jus feudi semel constitutum transfertur, & ratione tantùm novi successoris quodammodo constituitur, infrà commodior erit agendi locus. *disp. 6. & 8.*

II.

PRocedunt autem Modi isti (a) vel ex persona Domini, rem suam alteri in feudum, velut usufructum quendam (b,) retentâ proprietate, concedentis; qui omnes generali Infeudationis (c) nomine veniunt: vel ex persona Vasalli, rem suam alteri addicentis ita, ut usufructu quodam, jure feudi retento (d,) proprietatem rei, in illum transferat; qui omnes usitato Appropriationis (e) verbo contineri possunt.

A 2

(a) quan

(a) quantum præsertim ad propriam & regularem feudæ naturam attinet: quæ talis est, ut in rebus corporalibus & immobilibus consistat, & jus feudi à jure proprietatis distinctum contineat: *ut ex disput. seq. magis apparebit*: cum alia feuda quæ in sola obligatione dandi subsistunt, ab ipsius tantum Domini persona proficiantur, nec proprietatem rei feudalis à jure ejusdem feudali differentem habeant.

(b) Feudum enim proprium & regulare, genere quodam usufructum esse, constat *ex lib. 2. F. tit. 23. in quibus caus. feud. amit. in fin. Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. 4. n. 35. & seqq.*

(c) cum latitudine quadam sumptæ: ita ut & ultimum actum quo feudum plenè & cum effectu tribuitur, & alios intermedios, quibus ad ultimum illum pervenitur, comprehendat. *ut ex th. seq. manifestius fiet.*

(d) Cujusmodi retentionem pro traditione habendam esse, ex jure communi liquet. *l. quisquis. 28. l. si quis argentum. 35. §. sed & si quis. §. C. de donat.*

(e) Itidem cum latitudine quadam, & magis tamen de modis, plenam seu ultimam feudi constitutionem antecedentibus, intellectæ: *ut ex seqq. elucebit.* Germ. dicemus da einet sein: Eigenthumb dem andern zu Lehen vffträgt. *Gail. 2. observat. 158. Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 5.*

III.

ET sunt Modi isti, ut jam obiter indicatum est, duplices ab utraque parte: Alij quidem priores & imperfecti, qui constitutionem feudi promovent quidem at non absolvunt: ut causæ illæ, quæ alium nobis ad feudum præstandum (a) obstringunt (b;) ut stipulatio (c,) Emptio, Permutatio (d,) Res judicata. (e,) Ultima voluntas (f,) Investitura merè verbalis (g,) Alij verò ultimi & in seipsis perfecti, qui feudi constitutionem omninò absolvunt & perficiunt: ut Investitura (h) & Præscriptio (i.)

(a) quod, sicut th. præced. innuimus, intelligi potest tum à parte Domini,

Domini, ut sc. is investituram (*de qua infra* 0.13.) faciendo, ipsum jus feudi (*de quo in disp.* 5.) Vasallo conferat: tum à parte Vasalli, ut is investituram suscipiendo, & fidelitatem (*de qua infra* 0.14.) præstando, jus feudi (*de quo in disp.* 4.) in ipso Domino cum effectu producat.

(b) atque sic non tam feudum ipsum, quam obligationem tantum, qua feudum debeat, constituunt. Eodem prorsus modo, quo & in rebus allodialibus, pacta & obligationes, non rem, vel servitutem ejus aliquam, nostram, sed nobis tantum debitam, efficiunt: *l. 3. princ. ff. de Obl. & Act.* & aliqua tamen ratione ad rem vel servitutem, etiam penes nos constituendam, adeoque nobis acquirendam, faciunt, ut inter modos constituendi seu acquirendi numerari possint. *l. nunquam. 31. princ. ff. de acq. rer. dom. §. si quis velit. 4. Inst. de servitut.*

(c) siue ea donationis, siue alterius alicujus contractus confirmandi causa sit facta. *l. si ita fuero. 6. §. ult. & l. seq. ff. de Novat.* Quæ autem de stipulatione verbis facta dicuntur, utiliter & de promissione scripta intelliguntur. *l. non figura. 38. ff. de Obl. & Act.*

(d) Etsi enim plerumque & regulariter Infeudatio à parte Domini, ex liberalitate quadam, eliciendæ ab ipso Vasallo fidelitatis ac servitiorum causa, perficiatur: *lib. 2. F. tit. 23. quib. cau. feud. amit. in fin.* & vicissim Appropriatio à parte Vasalli, non recepto alio, sed pro ipsa tantum protectione Domini promerenda fieri soleat: *Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 5. n. 13.* In facto tamen contingere potest, ut nec Dominus pro sola fidelitate & servitijs Vasalli; nec Vasallus pro solo patrocinio Domini (in casibus præsertim, quibus usus utriusque in futurum non apparet valde necessarius) feudum concedere velit; sed in presenti vicissim vel pretium aliquod (saltem exiguum) vel rem (saltem vi-liorem) pro feudi concessione exigat & recipiat. *lib. 2. F. tit. 12. de fratrib. de nov. benef. ibi, vel pecunia. add. §. item pretium. 2. vers. Di-versa. Inst. de empr. vend.*

(e) Ex sententia scil. judicis, inter duos de fundo v. g. utrum feudalis an allodialis sit, concedentes, fundum feudalem esse, & respectivè Vasallo restitui, vel à Domino recognosci debere, pronuntiantis. Habet enim sententia judicis, postquam in rem

judicatam transijt hanc vim, ut pro veritate habeatur, adeoque
& rei novam qualitatem adijciat. *l. ingenuum. 25. ff. de statu hom.*
Obrecht. tract. feud. lib. 2. c. 5. n. ult.

(f) Si scilicet quis per legatum vel fideicommissum vel mortis causa donationem, alteri, sive ut Vasallo jus feudi in re aliqua præstari, sive ut Domino rem aliquam appropriari, & pro feudali recognosci, voluit, *Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 4. n. ult.*

(g) quæ nihil aliud est quam promissio feudi, jure feudorum proprio facta. Investitus enim in jure feudali dicitur etiam is, cui Dominus per modum investituræ, (*de quo infra §. 17.*) ac præsertim coram paribus curiæ, feudum ab alio jam possessum promittit ita, ut in casu quo id apertum futurum est, novo isti vasallo præstetur. *lib. 1. F. tit. 3. qui success. feud. dar. & tit. 4. si de invest. feud. controv. & tit. 9. qui success. ten. & tit. 27. de feud. dar. in vic. leg. commissor. reprob. §. ult. & lib. 2. F. tit. 26. si de feud. def. content. §. moribus. & tit. 35. de Cler. qui invest. fac.* Cujusmodi investitura etiam dicitur Expectativa; item de spe feudi. *Ampliss. Antecess. & Præceptor noster Dn. Iustus Mejer. in diss. singul. de rei feud. vindicat. §. 12. & 4. seqq.*

(h) sine qua nullum feudum constitui potest. *lib. 1. F. tit. 25. quib. mo. feud. const. pot. in princ. add. infr. §. 11.*

(i) Investituram supplens & pro investiturâ habenda. *lib. 2. F. tit. 33. de consuet. rect. feud. in princ. add. infr. §. 33. & seqq.*

IV.

ET modorum seu causarum istarum, (nisi quantum ad investituram merè verbalem a) cognitio plenior ex ipso iure communi haberi potest (b:) ut abs re futurum sit hîc plura de ijs proponere.

(a) quæ ex infrâ proponendis fiet manifestior. *§. 8. 13. 17.*

(b) Quæ enim stipulationis, emptionis venditionis, legatorum, &c. contrahendorum seu constituendorum doctrina est, eodem modo & hîc obtinebit.

V. Offe-

V.
Offerunt se tamen circa hæc modò proposita **DUBI-**
TATIONES nonnullæ, nunc breviter decidendæ:
 quarum **PRIMA** est: An simplex etiam, nec in pro-
 prium nomen contractus transiens conventio, obliga-
 tionem producat, qua alter ab altero feudum exigere
 possit? Disting.

Si enim conventio ista in generalibus placiti terminis subsi-
 stens in futurum concipiatur, *hoc fere modo, Dabo tibi feudum;*
prestabo tibi fidelitatem: procul dubio obligationem & actio-
 nem nullam producat: *l. juris Gentium. 7. §. sed cum nulla. 4. ff. de*
paet. Sin verò concipiatur in præsentem, & rem ipsam seu causam
 in se contineat v. g. *Do tibi feudum: Presto tibi fidelitatem:* minus
 habebit dubij quin obligationem producat: *d. l. 7. §. sed & si in a-*
lium. 2. de paet. Quòd & feudum sic datum acceptans, ad mutuam
 fidelitatis servitorumque; & fidelitatem præstitam recipiens,
 ad feudi patrocinijque præstationem, sese obstringat. *l. naturalis.*
5. pr ff. de præscr. verb. Obrech. tract. feud. lib. 2. c. 4. n. 5. & seqq. & lib.
4. cap. ult. n. 7. & seqq.

VI.

SECONDÆ: An feudum emptum vel aliàs titulo oner-
 oso comparatum, ea ipsa de causa improprium sit
 appellandum? Neg.

Est enim causa ista externa & instrumentalis: quæ sive hoc si-
 ve alio modo se habeat, nihil agit; nec feudum ipsum afficit. Sed
 dici potest, quod cæteris paribus, feudum ejusmodi in se confi-
 deratum, veram & propriam feudi naturam habeat, licet irre-
 gulari quodam modo sic comparatum. *ut θ. 3. lit. d. not.*

VII.

TERTIÆ: Vtrùm sententia judicis, rem feudalem
 esse cognoscentis, accedente solâ abusivâ investi-
 turâ, & absque traditione alia jus feudi alicujus faciat:
 an

an verò debitum magis feudum constituat, quod ex re-
stitutione demùm vel traditione quadam, alicujus fiat?
Post. Aff.

Neque enim sententia judicis eò tendit, ut ipsa per se & im-
mediatè rem nostram faciat: *l. sicut autem. 8. §. Et si quidem. 4. ff. de
serv. vind.* sed ut rem aliquam nostram esse declaret *d. l. 8. §. 4. & l.
ex diver. 35. §. 1. ff. de R. V.* & necessitatem rei nobis restituendæ
condemnato imponat: *l. officium. 9. ff. de R. V.* ex qua demùm resti-
tutione, & possessione nostra, res nobis acquiri potest. *l. 3. in fin. ff.
de publ. in rem.* Quæ doctrina èt ex eo probatur, quod pro regula
traditum sit, dominia rerum (ex naturali quippe possessione
cœpta *l. 1. §. 1. ff. de acq. poss.*) traditionibus acquiri *l. traditionibus.
20. C. de pact. cui regulæ, & naturali acquirendi modo, tandiu in-
harendum erit, quandiu non exceptio, & civilis acquirendi
modus, lege aliqua introductus aut firmatus doceatur. Vix au-
tem est ut ex jure civili ullum proferatur idoneum testimoniũ,
quo ex ipsa sententia seu adjudicatione judicis, absque traditio-
ne, res alicujus fieri probetur: nisi in judicijs duplicibus familiæ
exerciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum. §. ult.
*Inst. de offic. jud. l. si per errorem. 17. ff. de usurpat.**

VIII.

QUARTA: An sicut res aliæ ex ipso legato ad lega-
tarium transeunt (a,) ut ab eo vindicari possint (b:)
ita etiam jus feudi ex ea sola causa ad eundem effectum
constituatur? Neg. (c)

(a) ex ipsa tantùm agnitione legatarij, post aditam ab hæ-
rede hæreditatem factâ: *l. si tibi homo. 86. §. cum servus. 2. ff. de leg. 1.
l. legatum. 80. ff. de leg. 2. l. sed si damnum. 9. §. sed & creditor. 5. ff.
de pecul.*

(b) §. 1. ibi, sed etiam per in rem. *Inst. de legat. l. si Titio. 10. ff. de
usu & usufr. leg.* Quod secus esse in fideicommissis, & in ijs tra-
ditionem requiri ad hoc ut ipsius fideicommissarij fiant, colligi
potest ex *l. 3. ff. si usufruct. pet. l. si quis usum fruct. 29. ff. de usu & u-
sustr. leg.*

(c) quòd

(c) Quod testator voluntatem suam ad jura feudorum cōformasse videri debeat: *l. semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J. quæ investituram omninò requirunt. lib. 1. tit. 25. quib. mo. feud. const. pot. in princ.* Dicemus itaque, quod siue cui, ut vasallo, rei alicujus usufructus, qui jure feudi censeatur, siue ut Domino feudi, proprietates deducto feudi nomine usufructu, legetur: nihilo plus efficiatur, quàm ut legatarius actionem personalem consequatur, per quam alterum ad faciendam accipiendamve investituram (qua legatum effectui detur) compellat. *Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 4. in fin.* Hoc autem tentabimus, quod causa legati in tantum sic efficax, ut ad feudum alicujus rei ex ea acquirendum, opus non sit traditione seu investitura reali, sed sufficiat sola abusiva, *qua de re infr. plurib.*

IX.

QUINTA: Vtrùm merè verbaliter & de spe feudi alicujus rei investitus, in casu feudi, de quo actum est, aperti, jam ipso actu jus feudi consecutus; an verò obligationem tantum qua nunc puram & magis propriam investituram petat, acquisivisse videri debeat? Post. Aff.

Sola enim investituræ solennitas ad utile dominium (ut vocant) rei feudalis in Vasallum transferendum non sufficit; sed opus est ut ad eam accedat traditio & possessio, quæ propriè investitura vocatur. *lib. 2. F. tit. 2. quid sit investit. & tit. 8. de invest. de re al. §. Rei autem add. infr. 9. 31.* Quod a merè verbalis investitura, quam dicimus, neque traditionem rei præsentem, neque missionem in rei possessionem sub conditione feudi quandoque aperti, contineat, sed ipsa tantum de feudo concedendo promissione absolvatur, proposuimus suprà 9. 3. lit. g.

X.

SEXTA & postrema: Vtrùm is qui merè verbalem investituram alicui fecit, præcisè cogatur investi-
B
turam

turam aliam & magis propriam facere: an verò præstan-
do id quod alterius interest liberetur? Post. Aff.

Adeò enim præcisa & absoluta dandi seu tradendi necessitas
in obligationibus non est, quin obligatus (licet tradendæ rei
facultatem habeat) liberari possit, si quod alterius interest præ-
stet. *ut videre est ex l. si traditio. 4. C. de act. empt. l. stipulationes. 72.
pr. ff. de V. O. & pluribus docetur in Colleg. Jur. Argent. lib. 19. tit. 1. §. 8.*
Qua in doctrina juris communis tandiu acquiescemus, quan-
diu non aliud ex jure feudorum proprio demonstratum videri-
mus. *secund. lib. 2. F. tit. 1. de feud. cognit. in fin. princ.*

XI.

Investitura porrò nihil est aliud quàm modus solen-
nis (a,) quo ipsum jus feudi, & Domino & Vasallo,
tribuitur & acquiritur (b.)

(a) responden traditioni in rebus allodialibus: in quibus
evidens est discrimen inter causam acquirendi, Emptionem
v. g. (quæ licet in & per se perfecta sit, dominium tamen non
transfert *l. 3. in princ. ff. de Obl. & Act. l. si pater. 8. C. de act. empt.*) &
modum acquirendi, traditionem videlicet, quæ ex causa em-
ptionis procedens, dominij translationem pleno effectu opera-
tur. *§. per traditionem. 41. (al. 40.) Inst. de R. D. l. nunquam. 31. ff. de
acq. rer. dom. l. traditionibus. 20. C. de pact.*

(b) adeò, ut in actu positâ investiturâ, ponendum sit etiam
jus feudi: & vicissim, ubi nulla est investitura, ibi nec ullum jus
feudi, nec appellatio Vasalliant Domini, locum inveniat. *lib. 1. F.
tit. 25, quibus mod. feud. constit. pot. in princ.*

XII.

Continet autem investitura, pro universo & perfecto
investitionis actu accepta (a,) duos actus specialio-
res: quorum unus procedit à parte Domini, & appella-
tur in specie Investitura (b:) alter à parte Vasalli, & dici-
tur Fidelitas (c) seu Fidelitas præstatio.

(a) ut

(a) utth. præced. dict. lib. 1. F. tit. 25. & quotiescunq; investitu-
ra modus acquirendi feudum dicitur.

(b) lib. 1. F. tit. 3. qui success. feud. dar. ten. & lib. 2. F. tit. 2. quid sit
investit. in princ. &c.

(c) lib. 2. F. tit. 4. quid præced. deb. an invest. vel fidel. & tit. 7. de
nov. form. fidelit. §. ult.

382

XIII.

INvestitura in specie dicta rursus est duplex (a:) Alia
vera & plenissima, quæ locum habet in feudis earum
rerum (b) quarum vera possessio (c) in ipsum Va-
fallum est transferenda; & perficitur eo ipso dum Va-
fallus solenniter possessor constituitur (d:) Alia abu-
siva & minus plena (e,) quæ locum habet in feudis re-
rum quæ vel possessionem nullam recipiunt aut desi-
derant (f,) vel ita comparatæ sunt, ut in præsentem tra-
di & à Vasallo possideri non possint (g;) & perficitur
plerunq; signo (h) corporali, sive solennitatis tan-
tùm (i,) sive possessionis insuper repræsentandæ cau-
sâ (k,) adhibito, quem in Vasallum cooptando (l,) in-
que feudi possessionem vel quasi, mittendo (m.)

(a) lib. 2. F. tit. 2. quid sit investit. in princ.

(b) maximè soli & immobilium: in quibus regulariter feu-
da consistere, ex disp. seq. innotescet.

(c) quam constanter asserunt & Vasallo tribuunt innume-
ri textus feudales. lib. 1. F. tit. 2. de feud. guard. §. ult. & tit. 3. qui suc-
cess. feud. dar. & tit. 4. si de invest. feud. in princ. & §§. 5. seqq. & lib. 2.
F. tit. 3. per quos fiat invest. in princ. &c.

(d) dict. lib. 2. F. tit. 2. in princ. & tit. 33. de consuet. recti feud.
in princ.

(e) quæ plerunq; veram illam antecedit, & ab eadem illa
planè consummatur.

(f) ut quando jura aliqua in feuda conceduntur; quæ non
verè, sed quasi; non ex traditione & per detentionem, sed ex

B 2 patien-

patientia & periculum possidentur: l. possideri. 3. pr. ff. de acq. poss. l. servus. 43. §. 1. ff. de acq. rer. dom. l. si quis diurno. 10. princ. ff. si serv. vind. l. 3. pr. ff. de usufr. l. ult. ff. de servit. item quando feudum datur in Curte Domini manens, & in ipsa obligatione dandi subsistens: quod per ipsas acceptiones, quasi tantum possideri potest. lib. 1. F. tit. 5. quib. mo. feud. amit. §. praterea. lib. 2. F. tit. 2. quid sit investit. §. si verò Vasallus.

(g) puta quod res alibi sita, nec ita in propinquo sit, ut à Domino tradi & à Vasallo corporaliter apprehendi possit: (quod tamen necessarium esse ex l. 3. §. 1. l. cum heredes. 23. in princ. l. qui universas. 30. §. quod per colonum. 5. ff. de acq. possess. constat) vel quod ab uno jam possessa sit lib. 1. F. tit. 3. qui success. feud. dar. ut ab alio insuper possideri non possit. l. 3. §. ex contrario. 5. ff. de acq. poss.

(h) v. g. scepro, vexillo, gladio, annulo, &c. lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. in princ. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 8. n. 30. & seqq. unde & Symbolica appellari potest, cum suprà laudato D. Mejero dict. disp. de rei feud. vindicat. 9. 15.

(i) ut in concessionibus feudorum quæ possessionem non desiderant, ut sunt ea de Camera & Cavena: de quib. disp. seq.

(k) ut in alijs feudorum, possessionem desiderantium, concessionibus.

(l) aliquando plenè: aliquando inchoativè: ut ex modo notatis patet.

(m) interdum purè, & ut mox in possessionem vacuum eat Vasallus: interdum in casum feudi, jam ab alio possessi, quandoque aperti; ut scilicet casu isto eveniente, Vasallus in possessionem liberè eat. Unde discrimen inter hanc abusivam investituram, & illam merè verbalem, de qua suprà 9. 3. lit. g. facile apparet.

XIV.

Fidelitas seu Fidelitatis præstatio, est cautio juratoria (a) qua Vasallus (b) se Domino fidelem futurum, eaque omnia, quæ jure feudorum à Vasallo requiruntur (c,) præstiturum promittit.

(a) lib. 2. F. tit. 4. quid preced. deb. an invest. vel fidel. Est tamen & fide-

& fidelitas quædam non jurata, comprehendens omnia ea quæ ex fide inter Dominum & Vasallum sunt præstanda. *lib. 2. F. tit. 52. de prohib. feud. alien. per Lothar. §. ult. & tit. 6. de forma fidelit. §. ult.*

(b) regulariter omnis, cujuscunque sit conditionis. *ut patet ex lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. §. ult. & tit. 24. quæ fuit prim. cau. benef. amit. §. est & alia. in fin. & tit. 40. de cap. Corrad. in fin. pr.*

(c) quæ exponuntur *lib. 2. F. tit. 7. de nov. form. fidel. & pertra. & abuntur infr. disp. 4.*

XV.

EXpediri autem potest universus ille investituræ actus, non modò per ipsos Dominos & Vasallos (a,) sed horum nomine etiam per alios (b.)

(a) qui scil. sive de suis, sive sibi istâ potestate commissis bonis; & sive sibi, sive personis sibi commissis; feuda dant & accipiunt. *de quib. disp. preced.*

(b) *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. vers. sed utrum ipse. & tit. 58. de not. feud. §. item sciendum. vers. item investitura.*

XVI.

ET fieri debet de omni & qualicunq; feudo.

Propter generalitatem textus *lib. 1. F. tit. 25. quibus mod. feud. constit. pot. in princ. ex quo ea etiam feuda quæ in ipsis obligationibus dandi subsistunt, investituram requirere statuimus.*

XVII.

HOc modo (a) ut in primis Vasallus à Domino citatus (b) compareat (c,) & investituram feudi humiliter ac devotè (d) & claris verbis postulet (e;) inde Dominus coram certis personis (f,) testatò (g) sub conditione fidelitatis (h,) eidem illi, sive soli, sive conjuncto cum alio (i;) & sive perè, sive cum condi-

B 3 tionis

tionis aut diei alicujus adjectione (k;) & sive simpliciter, sive certis cum pactis (l;) & denique sive simplici voluntatis declaratione (m,) sive in possessionem missionem (n,) sive deniq; reali & presentis possessionis traditione (o,) feudum concedat.

(a) generali scil. & maxime substantiali. Quæ enim ad specialia solennia investituræ pertinent, rotunda regula comprehendendi non possunt: sed ex loci & Curia cuiusque Domini consuetudine petenda, & in ipso investituræ actu diligenter observanda erunt. *Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 8. n. 27.*

(b) fidelitatis maxime præstandæ causa. *lib. 2. F. tit. 24. quæ fuit prima cau. benef. amit. §. 1. & tit. 22. de mil. Vafal. qui contumax.*

(c) loco & tempore à Domino designatis, vel aliàs opportunis: privandus feudo promisso, si contumax inveniatur. *dict. locis.*

(d) *lib. 2. F. tit. 23. in quibus caus. feud. amit. in med.*

(e) ut scil. & de voluntate ipsius aperte constet; & simul etiam reverentia ejus erga Dominum, ex petitione magis quam admissione feudi, appareat. *Obrecht. dict. tractat. lib. 2. cap. 7. num. 39. & seq.*

(f) ac regulariter paribus Curia seu Vafallis ejusdem Domini alijs, saltem duobus: *lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. in pr. & tit. 32. qui test. sint necess. & tit. 33. de consuet. rect. feud. in princ. singulariter ad hoc, si forte absint, citandis: dict. tit. 33. princ. vers. nec dicatur.* Si verò Dominus iste alios Vafallos non habeat, etiam coram extraneis: *dict. tit. 33. princ. vers. quod autem dictum: idoneis tamen. dict. lib. 2. F. tit. 2. §. si verò, Vafallus. in fin. & præsertim liberis lib. 2. F. tit. 58. de not. feud. §. quod autem pares. & masculis lib. 2. F. tit. 32. qui test. sint necess. serè in fin.*

(g) h. e. tanquam coram testibus, seu testatione factâ *lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. & tit. 32. qui testes sint necess.* faciliorisq; memoriæ ac probationis causa plerunque in scripturam, seu instrumentum publicum, quod breve testatum appellatur, relatâ. *lib. 1. F. tit. 2. de feud. guard. §. ult. & tit. 4. si de invest. feud. contr. in pr. lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. in pr. vers. si enim domino. & §. si verò Vafallus.*

fallus. vers. si autem investitura. & tit. 25. si de feud. Vasal. ab aliq. interpel. in fin.

(h) à Vasallo, & regulariter omni, præstandæ: ut constat ex allegat. 8. 14. lit. b. aded ut Vasallus qui post investituram à Domino factam, fidelitatem præstare recusat, à Domino reijci, & investitura eo casu pro non facta haberi, possit. lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. in fin. arg. l. si quis ita. 13. in fin. ff. de statulib.

(i) quæ simultanea investitura appellatur: quòd duo pluresvé simul investiantur: lib. 2. F. tit. 12. de fratrib, de nov. benef. invest. & tit. 18. de duob. fratrib.

(k) ut scil. investitura rata sit, si hoc vel illud factum fuerit, vel ut rata sit ex hoc vel illo die, &c. arg. l. in re mādata. 21. C. mandat. l. quod autem. 7. §. uxori. 8. in fin. ff. de donat. in vir. l. si quis eum. 37. ff. de cond. & demonstr. l. obligationum. 44. ff. de Obl. & Act.

(l) quæ veluti traditioni adjecta, servanda esse, & prodesse etiam ad actionem constat ex l. in traditionibus. 48. ff. de pact. l. rebus. 6. C. de rer. permut. dummodo honesta sint, & non vel ipsam substātiā feudorum evertant; vel qualitatem aliquam eorum inseparabilem removeant; vel repugnantem iisdem aliam adijciant. Quæ omnia ex universa feudorū doctrina manifesta fient.

(m) ita tamen conceptā ut ex ea apertè constare possit, quod Dominus nunc & in posterum, hunc suum Vasallum esse, jureque feudi, talis præsertim quod possessinnem non recipiat aut desideret, ut 8. 13. lit. f. not. uti velit. Aliās enim & si voluntatis ipsius nuda declaratio vel in futurum concipiatur, vel de feudo alicujus rei, quæ in possessionem demùm Vasalli venire debeat, sine missione in eam, sit facta, tunc non tam jus feudi, quàm ejus concedendi obligatio, per eam constitui videbitur. ut supr. 8. 3. lit. g. & 8. 8. not. Simplicem autem voluntatis declarationem hîc dicimus, non ut excludamus symbola aliqua, pro more istius loci vel curiæ adhibenda: sed ut possessionis traditionem in ea non requirendam indicemus.

(n) quam abusivam investituram appellari, dictum est supr. 8. 13.

(o) quam solam veram & propriam investituram esse, itidem indicatum est supr. dict. 8. 13.

Effectus investituræ pro diversitate ejus, & rerum de quibus ea fit varietate, diversus est & varius. Nam vera & plenissima investitura (a) facit, ut utrinque jus feudi (b) ipso actu & plenè acquiratur: & Vasallus præfertim cum possessione (c) utile etiam dominium (d) rei feudalis consequatur: Abusiva autem investitura pura, in rebus quidem possessionem vel non desiderantibus vel non recipientibus (e,) jus feudi similiter ipso actu & plenè constituit ac tribuit (f:) in rebus autem alijs quæ possessionem Vasalli expectant, alia quidem jura feudalia omninò constituit (g) regulariter autem neque possessionem neq; dominium utile Vasallo confert (h:) Cum conditione denique vel die investitura abusiva facta, pro ratione istius adjectionis, limitatos etiam effectus (i) producit.

(a) quam in solis feudis rerum corporalium, & ab ipso Vasallo possidendarum locum habere, propositum est suprà *§. 13.*

(b) quod quale sit infrà *disp. 4. & 5.* exponetur.

(c) *per allegat. supr. §. 13. lit. c.*

(d) ex quo rem feudalem à quolibet possessore, tanquam dominus, quasi vindicare possit. *lib. 2. F. tit. 8. de invest. de re alien. fact. §. Rei autem.*

(e) quæ intelligi possunt ex not. *supr. §. 13. lit. f. & i.*

(f) Quòd vel traditio instrumenti feudalis, Vasallum in quasi possessione juris feudalis constituat: *argum. l. qui chirographum. 59. ff. de leg. 3.*

(g) ut innuunt textus indistinctè loquētes *lib. 2. F. tit. 1. de feud. cogn. in fin. & tit. 11. de success. frat. in pr. & tit. 33. de consuet. rect. feud. in princ.* maximè cum nec ratio idonea dari possit, quare jura feudalia (exceptà possessione, & utili dominio) ex ejusmodi investitura non competere.

(h) ut manifestius fiet *infr. ex §. 29. & 31.*

(i) *per alleg. supr. §. 17. lit. k.*

QUÆRITUR autem circa præmissa, PRIMò: Vtrùm investitura fidelitatem; an verò fidelitas investituram præcedere debeat? Pr. Aff.

Per textum expressum *lib. 2. F. tit. 4. quid preced. deb. an. invest. vel fidelit.* quem tam de propria quàm de abusiva investitura accipiendum esse, eadem utriusque ratio suadet: quæ est, quòd per fidelitatem beneficium agnosci debeat; hoc autem priùs quàm sit, agnosci non possit: Nec sit tamen sæpè, antequam investitura propria sit facta: puta si absq; prævia investitura abusiva sit facta. Cæterùm si Dominus primùm investituram abusivam fecerit, sat causæ habebit, quare fidelitatem exigat à Vasallo: nec priùs cogetur beneficium plenè conferre, quàm Vasallus fidelitatem pro isto præstiterit. *lib. 2. F. tit. 7. de nov. form. fidel. §. ult. fac. lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. §. ult. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 8. n. 91. & seqq.*

XX.

SECUNDò: An investituram quis facere possit, qui feudum dare non potest? Disting.

Aut enim præcessit causa aliqua legitimè constituta ex qua investitura est facienda: aut non præcessit. Priori casu investituram facere potest etiam is qui per se feudum dare non potest: eò quod is feudum antè concessum *fac. l. ult. C. de reb. al. non ab. exequatur magis, quàm feudum concedat. Posteriori secus.*

XXI.

TERTIò: An etiam per servum investitura accipi possit? Affirm.

Tùm quòd pro regula traditum sit, personam investituram accipientis non distingui: *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat invest. §. 1. vers. personam verò.* Tùm quòd in isto, licet solenni & civili actu, magis ad personam Domini, quàm servi respiciatur. *fac. princ. Inst. de stip. serv.*

C

XXII.

XXII.

QUARTO: An ad voluntatem Domini ipsemet Vasallus comparere, & in persona propria investituram accipere teneatur? Affir.

Etsi enim alternativè loquantur textus feudales, quod investitura vel per se, vel per alium dari & accipi possit: *lib. 2. F. tit. 58. §. item sciendum. vers. item investitura. & tit. 3. per quos fiat investit. §. 1. vers. sed utrum.* non tamen hoc probant, quod etiam invito Domino, ex parte Vasalli alius intervenire possit: sed honorem hunc Domino (pro ratione tamen circumstantiarum decenter eum exacturo) præcipuum relinquunt, ut is ab ipsemet Vasallo fidelitatem & annexam reverentiæ exhibitionem, jure quodam suo postulet. *fac. lib. 2. F. tit. 22. de mil. Vasall. qui contum. ibi. salva reverentia.*

XXIII.

QUINTO: An & non vocatus Vasallus adesse, & investituram petere possit? Affir.

Quid enim si Dominus, quasi pœnitentia quadam ductus, moras investituræ nectat, ut ad extremum etiam eam denegaturus sit? Modestè enim loco & tempore opportuno accedet Vasallus, & de investitura facienda monebit: inde in auxilium Curiam, vel etiam majorem potestatem adhibebit: & tandem his omnibus nil proficientibus, Dominum illum deprædare poterit. *lib. 2. F. tit. 22. de mil. Vasal. qui contumax est.* Et vocandus itaque à Domino Vasallus traditur hoc effectui, ne Vasallus, beneficio adhuc nullo astrictus, seipsum offerre necesse habeat: sed beneficij initium ab ipso Domino, sine metu amittendi juris investituræ petendæ, expectare possit. *add. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 7. num. 89.*

XXIV.

SEXTO: Vtrùm ad hoc ut Vasallus ad citationem Domini investituram facturi non comparens, veluti

COR-

contumax spe feudi privari possit, requiratur trina citatio prævia: an verò una etiam peremptoria pro tribus sufficiat? Dist.

Aut enim præsens est Vasallus, & tunc una citatio pro tribus sufficet: Aut absens; & tunc rursus vel respondet se nolle venire; sufficetque similiter una citatio: vel nil respondet; & secunda insuper ac tertia citatio, septem, decem, pluribusve pro arbitrio Domini Curia diebus distincta requiretur; nec una peremptoria sufficet. *lib. 2. F. tit. 24. qua fuit prim. caus. benef. amit. Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 7. n. 36.*

XXV.

S EPTIMÒ: Vtrum Pares Curia ad actum investiturae vocati tergiversantes, venire cogendi: an potius in locum eorum extranei adhibendi sint? Pr. Aff.

Est enim præsentia parium de solennitate juris in ipsa investitura: *lib. tit. 32. qui test. sint necessar.* quæ omninò à paribus observari, & ab ipso etiam Domino non negligi, sed vi magis jurisdictionis promoveri debet. *fac. lib. 2. F. tit. 2. quid sit investit. in princ. ibi tunc enim Domino cogente.* Intelligimus autem hîc potissimum pares Curia ejusdem, & quorum copia facilè haberi potest.

XXVI.

O CTAVO: Vtrum & in investitura à Clerico facienda, requirantur Pares Curia: an verò sufficiant etiam extranei? Disting.

Aut enim Clericus investituram facit de rebus Ecclesia; & tunc sufficient etiam extranei; *lib. 1. F. tit. 26. si de investit. int. Dom. & Vasal. lis or. §. hæc omnia.* Aut facit eam de rebus suis proprijs; & tunc omnino requirentur pares, si modò clericus ille quos habeat. *lib. 2. F. tit. 32. qui test. sint necess. in princ. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 8. num. 66. & seq.*

C 2

XXVII.

NON D: Vtrum & in casu quo investitura in scripturam seu breve testatum redigitur, testes requirantur pares Curia: an verò extranei etiam adhiberi possint? Pr. Aff.

Expresse enim jure feudorum requiritur, ut instrumentum investituræ à duob. vel tribus Paribus sit confirmatum *lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. in pr. vers. si enim Domino. & tit. 32. qui test. sint necess. in med.* Quam jure feudorum communi firmatam sententiam, neq; Mediolanensium (specialis quippe & apud ipsos tantum Mediolanenses obtinens) consuetudo infringit: *d. t. 32. vers. consules tamen. Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 8. n. 78.* neque impugnant textus illi, qui alternativè vel pares curia: vel breve testatum ponunt: *lib. 1. F. tit. 3. qui success. feud. dar. in med. & tit. seq. 4. in pr. & c.* quòd scil. pares illi adhibeantur vel sine scripturâ, vel cum eâ: adeoque vel per se, vel in brevi testato, de investitura facta deponant. *ut not. supr. ð. 17. lit. g.*

DE C I M D: An jus feudorum de adhibendis in investitura testibus & quidem paribus, hodie communi usu, si non per omnia, aliquo tamen modo, mutatum videri possit? Affirm.

Attestante Dn. Obrecht. *in saepe dict. tract. feud. lib. 2. cap. 8. n. 76.* quòd hodie in plerisque Germaniæ & alijs locis perinde sit, utrum testes adhibeantur nec ne; & utrum testes adhibiti pares sint vel extranei: sed instrumentum tantum Sigillo Domini confirmatum, Vasallo dari soleat, adeoque hodie magis scriptura, quam testes, ad solennitatem investituræ, requirantur.

UN D E C I M D: An abusiva investitura de rebus corporalibus ab ipso Vasallo possidendis facta, per traditionem symboli, Vasallum possessorem faciat? Neg.

Nec

Nec enim ulla est dubitatio, quin possessio sine corporali ipsius rei apprehensione acquiri non possit: ut videre est ex §. *possideri. 5. Inst. de interd. l. possideri. 3. §. Neratius. 3. l. cum heredes. 23. princ. ff. de acq. poss.* Sed hoc tantum operabitur illa investitura, ut si possessio vacua sit, Vasallus libera voluntate sua eam occupet: Sin ea à tertio aliquo jam occupata sit; interdicto utatur ne vis fiat ei qui in possessione missus est: *t. t. ff. ne vis fiat ei, & c.* (maximè si tertius ille ipsius Domini investientis imperio sit subiectus: cum aliàs sui demum magistratus seu iudicis auctoritate, de possessione decedere cogendus esset) vel denique si ab ipso Domino res illa detineatur, actione personali contra Dominum intentatâ, possessionem vacuum sibi cedi postulet. *lib. 2. F. tit. 7. de nov. form. fidel. §. ult.* Quod si in præsentia ipsius rei de qua Vasallus investitur, symbolum tradatur; tunc, non tam ex symboli traditione, quam rei ipsius ante oculos positione, factaque apprehendendæ illius potestate, possessio transibit. *l. pecuniam. 97. ff. de solut. l. 1. §. si iusserim. 21. ff. de acq. poss. l. Clavibus. 74. ff. de contrah. empt.*

XXX.

DUODECIM ð: Vtrum Dominus tradendæ rei facultatem habens, præcisè eam tradere cogatur: an verò præstando id quod interest liberetur? Pr. Aff.

Hæc enim vis arctioris istius per abusivam investituram contractæ obligationis ex jure feudorum venit, ut dominus vel rem de qua investituram fecit, vel aliam ejusdem bonitatis, tradere cogatur. *lib. 2. F. tit. 25. si de feud. def. §. si facta, & tit. 8. de invest. de re al. fact. in pr. præstito in super eo quod Vasalli propter tardiorrem traditionem intererit. lib. 2. F. tit. 7. de nov. form. fidel. §. ult.*

XXXI.

DECIMOTERTIO & postremò: An abusiva investitura de rebus à Vasallo possidendis facta, ante possessionem à Vasallo apprehensam, dominium utile ei tribuat? Neg.

C 3

Requi-

Requiritur enim ad hunc effectum RECTA (seu propria) investitura, adeoque possessio. *lib. 2. F. tit. 8. de invest. de re al. §. Rei autem. junct. lib. 2. F. tit. 2. quid sit invest. in princ. & not at. supr. §. 7.* Nisi jam antè res ex alia aliqua causa penes Vasallum sit. *l. quædam. 77. ff. de R. V.* vel investitura ex ejusmodi causa sit facta ex qua etiam sine traditione dominium acquiritur: ut de legato posuimus *supr. §. 8.* vel denique Imperator per modum gratiæ investituram ejusmodi fecerit. *Gail. 2. obs. 55. n. 6.*

XXXII.

PRÆSCRIPTIO denique feudum constituit, quando vel Vasallus rem aliquam non feudalem, ut feudalem per 30. annos possedit, eoque nomine domino rei, ut Domino feudi, servitium exhibuit: vel vicissim Dominus feudi, per 30. annos, alicujus rei non feudalis ut feudalis nomine servitia à domino rei, ut Vasallo recepit.

Cujus doctrinæ sedes propria est in *lib. 2. F. tit. 26. si de feud. def. content. §. si quis per triginta.* qui textus licet de Vasalli tantum possessione loquatur; vi tamen correlativorum ad Dominum etiam accommodatur. *Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 6. n. 34.*

XXXIII.

DUBIA autem circa hanc præscriptionis materiam oriuntur ista: PRIMUM, An in præscriptione feudi requiratur titulus & bona fides? Disting.

In dict. enim textu feudali, & de jure civili sola possessio longissima sufficit. *l. sicut. 3. & seq. C. de præscript. 30. vel 40. an.* at jure Canonico (cujus usus fere in præscriptionis materia obtinuit) bona etiam fides & titulus requiritur. *c. ult. de præscript. Obrecht. dict. cap. 6. num. 4.*

XXXIV.

SECONDUM: An feudi præscriptio absolvi possit etiam longo tempore? Neg.

Quod

388
Quòd expressè 30. anni requirantur *in supr. dict. §. si quis per triginta* : adeoque hîc juri communi per jus feudale derogari videatur.

XXXV.

TERTIUM: An & in rebus Ecclesiasticis præscriptio feudi 30. annis compleatur? Aff.

Quia textus *in d. §. si quis per triginta* generaliter & indistinctè loquitur.

XXXVI.

QUARTUM: Vtrùm in præscriptione feudi à Vasallo perficienda requiratur præstitum, an verò sufficiat exhibitum tantùm, servitium? Post. Aff.

Quòd sola exhibitione, licet unica, Vasallus fidelitatem in serviendo demonstrare, & post eam expectare possit donec servitorum nomine requiratur à Domino. *fac. lib. 2. Tit. 7. de nov. for. fidel. ibi, specialiter fuero requisitus.*

XXXVII.

QUINTUM: An Vasallus contra Dominum, rem feudalem ut non feudalem possessam, præscriptione acquirere possit? Neg.

Possidet enim ex ejusmodi causa ex qua præscriptio non procedit *l. 2. C. de præscr. 30. vel 40. an.* & quam sibi ipse mutare non potest. *l. non solum. 33. §. 1. ff. de usurpat.* Nisi fortè possessionem Domino semel interverterit: indeque Dominus eum possidere permiserit. *per alleg. Obrecht, dict. lib. 2. cap. 6. num. 33.*

XXXVIII.

SEXTUM: An Dominus feudi libertatem prædij feudalis 30. annorum præscriptione quærere possit? Affirm.

Cum Dn. Obrecht. *d. cap. 6. num. ult.* per alleg. Mynsing. *4. observ. 28.*

XXXIX.

SEPTIMUM: Vtrum & in eo casu quo quis à nō domi-
no de re aliqua investitus est, requiratur longissi-
mum tempus ad præscriptionem: an verò longum suf-
ficiat? Post. Aff.

Quòd hīc magis respiciendum sit ad ipsum investientem; qui
istā præscriptione, contra verum dominum, ipsius rei propieta-
tem acquirit *fac. l. servi nomine. 16. ff. de usurpat. & usucap. l. si alie-
nam. 13. ff. de mor. caus. donat.* quàm ad Vasallum; cui post acquisi-
tam Domino proprietatem, jus feudi dubium esse non potest.

XL.

OCTAVUM: Vtrum feudum præscriptione quæsītū
per exceptionem tantūm retineri: an verò per a-
ctionem etiam peti possit? Disting.

Si enim bona fide (quam jure civili ab initio possessionis ad-
fuisse sufficit) præscriptio sit facta, tam ad actionem adversus
quemcunq; possessorem; quàm exceptionem proderit: sin verò
mala fide sit facta, tunc ad exceptionem quidem proderit omni-
modo, ad actionem autem non æquè. *l. si quis emptionis. 8. in*

princ. & §. 1. C. de præscript. 30. vel
40. annor.

DEO GLORIA.

Strapberg, Dr. ss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



1017







B.I.G.

Farbkarte #13



M FEU-
 A:
 S QUI-
 CON-
 ACQVI-
 a:
 niverfitate
 o
 VIDIS
 CTORIS ET
 OR-
 CEIANUS Palat.
 ori
 TI,
 LEDERTZ.

39 / 377
 2x
 1622, 3.

